



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Jesu Siculi  
Caltasinettensis, In ... Universitate Messanensi Theologiæ  
Primarii Professoris, Tractatus Quinque In Quinque  
Ecclesiæ Præcepta**

**Tamburini, Tommaso**

**Dilingæ, 1697**

Caput I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40032**

# P A R E R G O N

## AD QUINTUM ECCLESIAE PRÆCEPTUM.

DISPUTATIO UNICA.

De Immunitate cujusdam Monasterij à quadam Gabella.

### CAPUT I.

*Proponitur status questionis.*

**T**itius Laicus non multarum ovium dominus requirit ab Abbate, seu Procuratore, cujusdam Monasterij, habentis ovium gregem, pascentium in suis proprijs Monasterij prædijs? Titius, inquam, requirit, ut is Procurator admittat paucas illas oves intra Monasterij gregem, ea conditione, seu pacto, ut pro compensatione pascuorum, Titius det, seu vendat Monasterio omnem fructum lactis, qui eo anno habebitur ex suis ovibus; nam partus earundem sibi idem Titius acquireret. Breviter Titius, & Monasterium ejusmodi contractum ineunt, ut hoc det pascula pro fructibus lactis, hoc est, caseo, butyro, recocta, quam vocant; ille verò det dictos lactis fructus pro pascuis.

Quoniam verò in ijs locis positum est vectigal (quod vulgò, gabellam appellamus) super lactis fructibus; idèo vectigalium publici Quæ-

stores illud exigere à præfatis lactis fructibus Monasterio à Titio concessis, intendunt; à Titio, inquam, Laico, Nam Immunitatem Ecclesiasticam Monasterij sic nequaquam lædi, sibi persuadent. Quærimus ergo quid juris?

### CAPUT II.

*An contra Immunitatem agant Gabellarij, si à prædictis lactis Fructibus Gabellam Ex-torqueant?*

**A**Nequam id decernatur, recolendum est breviter, qualis nam, & quanta sit hujusmodi Immunitas Ecclesiasticorum à vectigalium solutione? Certa enim est, & explorata Theologorum, Canonistarum, & juris civilis peritorum sententia, quam nemo ex Catholicis audent impugnare, bona Ecclesiastica, immunia, & omninò libera esse ab oneribus, seu gabellis impositis per Communitates, vel Principes quoscunque Laicos. Ita definitum est in Conc. Lateranensi sub Alexandro III.